

se plurimum facere ad cognitionem alterius, si scilicet illa sit magis nota, quam hæc, & hoc perspicere est in motu cœlesti comparando eum ad durationes rerum sublunarium.

Th. 14. Verè igitur Duratio defini potest quod sit *Existencia rei continuata*: Subtilitatum Magister definit *durationem, quod sit continuatus tractus essendi*. Pererius l. 12. Phys. c. 5. inquit; *Duratio est quantitas, vel extensio seu mora quedam ipsius existentie* Fonseca 5. Metaphys. c. 13 quæst. 12. s. 1. *Duratio est continuatio aut permanentia ipsius esse rei*. Svarezius d. metap. 50. s. 2. §. 9. *durationem formaliter consistere ait in permanentia in existendo*. E. in eo amicè conspirant, Durationem formaliter consistere in permanentia ipsius esse rei actualis, vel, ut alii loqui amant, in existentie rei perseveratione. Nam si res concipitur, ut est extra causas, & in causis non ampliùs latet, concipitur ut existens, quando verò concipitur, ut in existendo perseverans, sive in existentia permanens, tunc concipitur formaliter ut durans. Quibus probè intellectis per se non potest non esse clarum & perspicuum, quid sentiendum sit de illa quæstione: num detur duratio instantanea? seu num id, quod est in instanti etiam dicatur durare? negativa enim verissima est, nam quando dicitur *duratio instantanea* terminis in rigore acceptis, comitti videtur; contradictio in adjecto, unum enim alterius significationem tollit, per hoc enim aliquid est instantaneum, quod post primum suæ existentie momentum esse non retinet, per hoc autem aliquid durat, quod ultra primum existentie momentum esse suum retinet. Hinc Mendoza disp. 17. sect. 1. §. 2. *durare significat perseverare: Virg. durate & vosmet rebus servate secundis, id est perseverate in labore, at vero perseverare est acceptam jam existentiam retinere, sic dicuntur res plures minusve durare, quia longiori aut breviori tempore retinent esse*. In quam sententiam etiam pedibus it Suarius l. c. §. 13.

Th. 15. Minime autem hic susque deque habenda est distinctio, qua Autores distingvere solent durationem in permanentem & successivam; quarum hæc est entium successivorum, quorum partes non simul, sed una post alteram existit, ut motus; illa verò rebus permanentibus propria est, in quibus partes simul existunt. Dicimus verò Durationem ad hæc duo se planè æquivocè habere, cum enim entium successivorum partes non simul ori-

ori-